

Similiter Rhenatus Choppinus *lib. 3. De Domino Fran-*
ciae c. 28. n. 1. ait: Regis item jura sunt hæc: Cænobii a-
lendum offerre militem, qui acceptis in Bello vulneri-
bus, postmodum nequeat corporis artificio vitæ neces-
saria quietate. De quo argumento eum olim tractatū
esset in Senatu, id ipsum Principi Francico Diademate
licere in auspiciu Regni, Ordo Supremus judicavit.
Arresto Parlam. anno 1273.

XXV. Jus hoc offerendi Cænobio militem, esse effe-
ctum augustioris in sanctas Ecclesias Patronatus, asserit
Choppinus ibidem *n. 3.* Rex enim [ait] beneficium est fa-
crarum Adium Patronatus, quæ in specie Legibus cautum
est, exhausto & egentis Patroni filio alimenta esse ex
templi ipsius redditibus suggerenda.

Hanc juris illius originem & titulum notavit quoq;
Rebuffus loco citato *n. 21. additq;* Quia licet Rex aut
Fiscus sit semper dives, & idoneus solvendo, tamen ju-
re patronatus considerato, & Monasterio à se fundato,
vel à prædecessoribus Regibus, æquum fuit hujusmodi
Præsentatis subvenire.

Cum enim milites juramento Regi ad servendum, &
eum defendendum sint obstricti, quodammodo loco fi-
liorum à Rege habendi sunt, saltem ut iis ad inopiam re-
dactis succurratur, usq; impensum, censeri debeat Regi
ipsi impensum.

XXVI. Unde pluribus Regiis Edictis cautum fuit, nul-
lum posse hujusmodi Oblatorum loca in Monasteriis oc-
cupare, nisi sint milites veterani vulneribus pro servitio
Regis laucati; inhibitione facta Monasteriorum Superio-
ribus alios admittendi vel recipiendi, aut quamcumque
pensionem assignandi, quibuscūq; litteris Regiis essent
muniti uti latius deducit Carolus Fevretius *De Abusu lib.*
2. c. 5. n. 4.

XXVII. Addit præterea, quod si Præsentatus à Rege
esset sufficiens ut sibi de necessariis honestè provideret,
is possit repelli: eo quod similia loca non nisi pauperibus
sint destinata: quod & in ipsis litteris oblationis Rex si-
gnificat per hæc verba litteris apponi solita: *Par pitié &*
amofne, & en faveur des services, que nous à fait. Re-
buffus *n. 28.* Addit tamen *n. 29.* Non debet inquiri de ser-
vitiis; aut apponi quod non servierit: quia duæ rationes
sunt; & unâ cessante, non cessat concessio. Et videmus
hodie hujusmodi loca concessi etiam illis, qui nunquam
Regi specialiter servierunt.

XXVIII. Ulterius cum jus hoc inaitatur titulo funda-
tionis seu Patronatus, ideo & restringitur ad Monasteria
fundationis Regiæ; quemadmodum notavit Choppinus
loco supra indicato *num. 4. & ex professo Rebuffus*
n. 27.

XXIX. Quæstionem aliquando motam fuisse, num
huic oneri subjecta essent Cænobia virorum Ordinis S.
Augustini; uti refert Rhenatus Choppinus de Sacra Politia
lib. 3. tit. 2. n. 1. 2. atq; ipso in causa perorante & postulan-
te placuisse Senatui, Clientem suum rectè appellasse, &
Curiales Primates seu Prioratus Augustiniani Ordinis,
educatione Oblati militis victuq; neququam onerari;
Arresto in publicis causarum actionibus lato pridie no-
nas Junias an. 1565.

Fundamentum suæ causæ proponens Choppinus aje-
bat. Prioratum quem Clientis suus obtinebat, Augustinia-
næ Regulæ subjeti, & ita verè Curionatum centeri, ani-
morūq; curationi conjunctum Sacerdotium. Proin-
suggerendis veterano cibariis alligandum non esse; in-
star Paræciae Ecclesiæ cuiusvis. Multum enim inter-
esse, an regularis Primatus Benedictino Ordini subjace-
at, an Augustiniano. Ille quidem nullum paræciarum
habet actu ipso regimen animorum annexum. Nam
cucullati Sacerdotes Benedictini cesserunt jam dudum
paræciarum administratione: intra claustrum septa rediri
jussi Chalcedonenſi Concilio. *Can. juxta quæ 16. Quæst.*
1. At monasticæ præfecturæ ordinis Augustiniani, reti-

nerunt hætenus sacram spiritualemq; paræciaci po-
puli curationem: Quom & Illerdensis Synodi permissu
monachi ordinari cœpissent, & ad sacros Clericorum
gradus promoveri. Unde Augustiniani Ordinis cæno-
bitæ curialia etiam dum munera obeunt in sacris suis
beneficiis, quasi Parochialis Ecclesiæ Pastores soli.

XXX. Verum si dubitetur, an Abbatiæ sint ex fundati-
one Regali, nec ne, præsumuntur esse ex fundatione ait
Rebuffus *num. 23.* concluditque ulterius: Ideo mandante
Rege, si appareat vobis quod sit de fundatione, interim
dum litigatur super hoc, providebitur isti pauperi, & a-
letur, ut censuit Senatus anno 1550. die 17. februarii: &
latius probat Fevretius.

XXXI. Hoc jure oblationis Rex non intendit unum i-
demque Monasterium, nisi semel, suo durante regimi-
ne, & clavate, ac propterea expressè in litteris ponitur
hæc clausula: *Pour ven toute fois, qu' autre n' ait este re-*
ceu.

Ita refert Rebuffus *n. 26. qui & n. 25. notat:* Quod si
ille cui est provisum adhuc vivet, debet Rex novus
expectare mortem illius antequam provideat, ne sit
moleſtus Monasterio, & ne uno & eodem tempore sit
gravamen duorum.

XXXII. Debet autem ali in Monasterio tamquam al-
ter Religiosus, uti & verba litterarum indicant: *Avons*
donné & octroyé donnons & octroyons ledit lieu, & vivre
d'un Religieux en vostre dite Abbaye. Et infra: *Dislovez*
par chacun jour, putance viures & autres ses necessitez
telles que de raison, comme à un de vos dits Religieux avec
vestment suffisant.

XXXIII. Hinc concluditur, cogi posse oblatum ut ha-
bitet in Monasterio; ibiq; præter servitium ab Oblatis præ-
stari solita; & portionem Monachalem accipiat, nisi ipse
Conventus malit ei extra Monasterium pensionem sol-
vere; uti Fevretius *n. 46.* judicatum refert an 1471.

Et quia sæpe non convenit miles Veteranus cum Mo-
nachis, dicit Rebuffus *n. 36.* quod oblatum soleat regulari-
ter extra Monasterium ali.

XXXIV. Refert dein *n. 47.* per litteras patentes de 5.
maji 1636, Regem Galliarum exemisse ab hoc onere Abba-
tias & Prioratus, qui in proventus annuis non habent
mille ducentas libras, omnibus oneribus deductis.

XXXV. Non tantum Monasteria virorum, sed & mul-
lierum seu Monialium huic juri jam pridem subiecta fu-
isse notat Bosquetus ad citatam epistolam Innocentii III.
testaturq; Choppinus *n. 13.* vetus Arrestum insertum in
Stylo Parlamenti habere: Rex potest suo jure ponere in
Monasteriis Monachorum unum monachum, & in
Monasteriis monialium unam monialem.

Ita nimirum, ut monialium monasteriis milites sive
viri offerri non possint; uti rectè notat Fevretius *n. 43.* as-
seritq; non semel repulsam passos viros, qui litteras Re-
gis ad monasteria monialium impetrarant.

XXXVI. Eodem jure utuntur Principes nostri, non tan-
tum in monasteriis & Abbatibus virorum, sed & mulierum
idq; jure Regalia, uti in litteris provisionis exprimitur:
assignantq; oblatis panem & præbendam Abbatialem le-
pau & præbende. Per præbendam intelligentes portionem
Monasticam seu Abbatialem. Dein addunt, *avec les ha-*
billements & autres droits & emoluments quelconque y
appartenant; id est, cum vestitu, juribus & emolumentis
annexis. Et anno 1668. per litteras missas ad Governato-
rem Belgii, & per ipsum omnibus Conciliis Regis inti-
mandas declaravit Rex Catholicus, redemptionem Panis
Abbatialis ad summam centum quinquaginta florenorū
annuè, vita Oblatorum durante. Et 26. Augusti anno
1677. scripsit Conciliū privatum ad Abbatissam & con-
ventum Monasterii B. Mariæ sub vinea in civitate Lovani-
ensi, oblata dandas esse vestes & reliqua corpori neces-
saria, sicuti uni Religiosæ, nihilq; oneris extraordinarii
imponendum.

Monn-

Formula quæ à Rege nominatur Oblatus ipsis Monasteriis.

Charles par la grace de Dieu Roy de Castille de Leon d' Arragon, &c. A religieuses personnes, nos Cheres & bien
aimées les Prieure & Religieuses du Prieuré de l' Ordre de S. Bernard, en nostre pays & Duché de Brabant, sa-
lut & dilection, Comme à Cause de nostre Reception & aduenement aux estat des pays bas & de Bourgoigne
nous Compette & avons droit d'en Chascune Abaye Monastere, Prieuré, & Hospital dudit pais, donner un pain &
prebende avec les habillements & autres droits & emolument acoustumé, & y appartenants, mesme en vostre dit
Prieuré, ou tel pain est vocant pour ce est il que nous voulont en ce user de nostre dit droit, & pour l'eraport que
fait nous a esté de N. N. jeune fille, natife de la Ville de Bastoigne en nostre pays & Duché de Luxembourg, &
que ses plus Proches parent souffrent grande parte en leurs biens, tant audit Bastoigne, qu' aux environs de la ville
maintenant possedee par la France, à la quelle Cause la dite N. N. se trouveroit sans aucune Commodité avons
en Consideration de ce que dessus & des services & de vanciers, donné & Conferé domoni & Conseront a
la dite N. N. pour Dieu & en aulmonne par ces presentes le pain & prebende qu' avons droit de donner en vostre
dit Prieuré & Monastere à Cause de ce que dit est avec les habillement, & autres droits & emoluments quelconque
y appartenans, si vous mandons & commandons qu' ayez à recevoir & admettre ladite N. N. en vostre dit
Prieuré & que dudit pain & Prebende, habillemens, droits & emoluments acoustumez, & y appartenans, la faites
plainement & paisiblement jouir & user, Cessans tout contradits & emphechements au contraire car ainsi nous plait il.

TITULUS XXVI.

De Institutione & Possessione Benef.

CAPUT I.

De Institutione.

1. Tres species institutionis.
2. Institutio authorizabilis à concessione cura anima-
rum distincta.
3. Quid institutio authorizabilis; & cur dicta collatio
necessaria? (S quare?)
4. Institutio hæc de jure communi competit Episcopis;
5. Jus instituendi Beneficiatos Episcopis vindicavit
Synodus Tridentina.
6. Possit etiam ad inferiores Pralatos pertinere agnovit
Synodus Trid.
7. Idque non tantum ex privilegio.
8. In Belgio Archidiaconi institunt.
9. Qui institutio ad Archidiaconos devoluta?
10. Plures alii inferiores Pralati hodie jus instituendi in
Belgio habent.
11. Jure institutionis ad inferiores devoluto, ad Beneficia
sine examine etiam in idonei admittantur.
12. Hinc abusus qui occurrit Synodus Trid.
13. Synodus requirit examen Episcopi etiam quoad Be-
neficia simplicia.
14. Sed praxis est contraria.
15. Cura animarum a solo Episcopo, ejusque prævio exa-
mine haberi hodie potest.
16. Titulus tamen Beneficii Curati etiam datur ab Ar-
chidiaconis aliisque Pralatis inferioribus.
17. An institutio faciendâ intra semestre?
18. Institutio quare non differenda?
19. Si Ordinarius Præsentatum instituere differat, potest
recurri ad Superiorem.
20. Potest à recusata institutione appellari.
21. Quomodo procedatur in Gallia si Pontifex Bullas
non expediat.
22. Jam pridem judicantur Pralati Angliâ à recusata
institutione posse appellari; sed examen debere esse
penes judicem Ecclesiasticum.
23. Alexander III. scripsit, si Ordinarius institutionem
recusat, causas recusationis coram Superiore alle-
gari debere.
24. Superior institutionem dare non potest, nisi causa re-
cusationis plene discussa.
25. Id ipsum cautum Edicto Regis Galliarum, una reservans
Van Espen *Jur. Eccl. P. 11.*

examen & judicium de capacitate presentati judicii
Ecclesiastico.

26. Consona sunt praxi Belgii.
27. Ostenditur merito hanc institutionem dici necessa-
riam.
28. Præcipuas partes in provisione Beneficii Patronatus
habent Patroni.

I. Res species institutionis assignat Pro-
sper Fagnanus ad Cap. CUM ECCLESIA
De Causa possess. & propriet. "Prima
Species est institutionis corporalis,
hoc est immisionis in possessione:
de qua capite sequenti. "Secunda species (ait Fagna-
nus) institutionis authorizabilis, id est, approbationis
ad curam animarum. "Tertia species media inter cor-
poralem & authorizabilem institutionem est, quam vo-
cant collativam.

II. Hæc tertia propriè est illa, quam hodie vocamus
institutionem authorizabilem, sive tituli collativam; &
à concessione curæ animarum planè distinguitur; uti
supra monuimus, ubi notavimus, eam à Glossographo,
quem hic sequutus videtur Fagnanus, malè confundi
cum datione curæ animarum.

III. Institutio itaque propriè dicta seu authorizabi-
lis, est ipsa Beneficii collatio, sive tituli Canonica datio,
sine qua ipsum Beneficium haberi non posse pronuntiat
prima Regula Juris in sexto Decretalium: ideoque &
collatio dicitur, sed necessaria: eo quod instituens soleat
constringi, eam certæ personæ sibi præsentatæ facere, ut
ex dicendis patebit.

IV. Igitur cum per institutionem fiat Beneficiorum
collatio; ipseque titulus Canonicus conferatur; & Cle-
ricus eâ mediante Ecclesiæ adſcribatur, eam Canones
Episcopis, tamquam Ordinariis Beneficiorum Collato-
ribus, & minorum Ecclesiasticorum primariis distri-
butoribus detulerunt. Quare & jure communi cautum
est, institutionem authorizabilem ipsis Episcopis com-
petere. *Cap. 4. De jure Archid.*

V. Illud jus Episcopis quoq; asseruit Synodus Triden-
tina *Sess. 14. c. 13. de Refor.* decernens, ut si ex causa fun-
dationis aut dotationis jus patronatus impeteretur aut
obtinetur, institutio Episcopo non alteri inferiori refer-
vetur.

LII

Deinde

Deinde c. 13. generaliter edixit: "Non liceat prætereà patrono cuiusvis privilegii prætextu aliquem ad beneficia sui juris patronatus, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem provisio seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, jure pertineret, quoquo modo præsentari; aliis præsentatio, ac institutio, forsan secuta, nullæ si sit, & esse intelligantur."

VI. Hic textus evincit, Patres Synodi Tridentinæ suppositivè, de jure institutionem Beneficiorum spectare ad Episcopum; unâ tamen fat insinuantes posse eam ex privilegio ad alium etiam inferiorem pertinere: quod rursus Sess. 24. cap. 18. De Reformat. apertius agnovit in verbis: "Cum verò institutio ab alio, quam ab Episcopo erit faciendâ &c."

Hic Synodum loqui de institutione *authorizabilis* live tituli collativa supra tit. 22. c. 4. probatum est.

VII. Nec tantum ex privilegio; sed & consuetudine sive præscriptione jus institutionis, non secus ac liberæ collationis, acquiri posse, colligitur ex Cap. 6. de Institutionibus, cujus Rubrica habet: "Institutiones possunt de jure speciali ad non Episcopos pertinere; & pendente lite cum Diocesano defenditur in possessione." Unde monet ibidem Fagnanus n. 16. certum esse, jus instituendi posse acquiri præscriptione.

Et quidem in citato Capitulo sexto respondit Innocentius III. Archiepiscopus Rheimundis esse in jure instituendi tuendum; eo quod Archiepiscopus hic probasset, se & prædecessores suos in continua possessione instituendi fuisse; quamvis de jure communi Archiepiscopo sola institutio corporalis competat. Cap. 7. de Officio Archiepiscopi.

VIII. Similiter in Belgio, Archiepiscopi institutio etiam *authorizabilis* live tituli collativa competet, quem admodum notat Zypæus titulo De Institut. num. 4. An autem Archiepiscopi jure proprio, sive jure suæ dignitatis, an verò jure duntaxat delegato, & nomine Episcopi instituant, vide supra tit. 22. cap. 4.

IX. Admodum verisimile apparet, quod Episcopi primò soliti fuerint institutiones Præsentatorum à Patronis committere suis Archiepiscopis; atque sensim hæc frequens delatio in jus ordinatum transferret; quem admodum plura alia jura Archiepiscopis quaesita esse notavimus parte 1. tit. 12. cap. 1.

X. Nec tantum Archiepiscopis, sed & aliis inferioribus Prælati & Capitulis jus instituendi eadem ratione acquisitum fuit, cum enim institutio sit quidam species collationis, sed necessaria; id est, quæ sit ad præsentationem vel nominationem alterius, neque instituendi liberum sit, personam instituendam pro arbitrio eligere, haud difficile fuisse Episcopis, hanc collationem seu institutionem aliis committere; & Prælati inferioribus relinquere. Hinc passim Capitula aut eorum Prælati gaudent jure instituendi Canonicos, aliosque suarum Ecclesiarum Beneficiatos.

XI. Jure hoc institutionis ad inferiores devoluto, contingebat, passim in beneficia, etiam ad præsentationem laicorum spectantia quosvis Clericos sine delectu & examine aut scitu Episcoporum institui; nec tantum ad beneficia, sed etiam Curata; atque hinc ulterius in idoneorum intuitu vel admissio sequebatur.

XII. Huic abusui occurrere volens Synodus Tridentina statuit imprimis Sess. 7. c. 13. De Reformat. "Præsentati, seu electi, vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nuntiis, ad quævis Ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmantur, neque admittantur, etiam prætextu cuiusvis privilegii, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti. Et nullus appellacionis remedio se tueri possit, quò minus examen subire teneatur. Præsentatis tamen, electis, seu nomi-

natis ab Universitatibus, seu collegiis generalium studiorum exceptis.

Deinde Sess. 24. cap. 18. De Reformat. "Quod si Ecclesia Parochialis juris patronatus laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus erit ab infirmo depunitis Examinatoribus Synodalibus examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit, admitti."

Denique generalis Sess. 25. cap. 9. De Reformat. loquens de jure patronatus laicorum ait: "Ad hæc liceat Episcopo præsentatos à patronis, si idonei non fuerint repellere. Quod si ad inferiores institutio pertinet, ab Episcopo tamen juxta alias statuta ab hac sancta Synodo, examinentur: alioquin institutio ab inferioribus facta, irrita sit & inanis."

XIII. Itaque si verba Concilii Tridentini attendamus, omnes infirmè præsentati & nominati ad quæcumque beneficia, à quibuscumque Patronis, exceptis solis præsentatis, electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegiis generalium studiorum, debent, antequam instituantur, ab Ordinariis examinari & idonei judicari: ut ita nullus in Ecclesia ministerium, per beneficii collativam institutionem, sine Episcopi admissione & approbatione assumatur.

XIV. Verùm praxis seu consuetudo, hæc Decreta, quantumvis suâ expressione generalia, ad sola seivè beneficia, quibus Cura animarum annexa est, restringit; atque beneficia simplicia, sive sine cura animarum ab hoc examine exempti, uti notat Bouchel in Summa Beneficiali; vel Claudius Blondeau qui eam Summam sub titulo Bibliothecæ Canonice edidit & auxit, verbo Patronage n. 173. dicens, consuetum non esse pro beneficiis simplicibus examen institui. Et quotidie videmus, ab Archiepiscopis, & Capitulis aliisque jus institutionis habentibus, infirmè Beneficiatos sine Ordinario prævio examine; quando ipsi Beneficiis nulla animarum cura incumbit; nihilque præter testimonium morum, litteras Tonsuræ, aut alterius Ordinis, vel ætatis, vel gradus, alteriusve qualitatis quæ ex fundatione aut aliunde requiritur, exigi; nullo super doctrina præmissa examine.

XV. Circa beneficia verò quibus cura animarum est annexa, ipsa Decreta Concilii Tridentini, examen & approbationem Ordinariorum requirunt, ubique suum eatenus vigorem habent, ut nemo absque prævio Ordinariorum examine & approbatione curam animarum beneficiis illis annexam habere aut exercere queat: neque illam ab alio quam Ordinario accipere: vigetque Decretalis Alexandri III. in Cap. 4. de Officio Archiepiscopi Eliensis Archiepiscopo scribens: "Cum satis absurdum & à Sanctorum Patrum institutionibus alienum, ut Archiepiscopus auctoritate propria debeat cuilibet Ecclesiarum curam committere, ægrè minus ferimus, quod tu sine mandato Episcopi tui curam animarum committis. Quoniam igitur obtentu alicujus consuetudinis, non debes contra sanctorum Patrum constitutiones venire, & quod ad tuum non spectat officium vindicare. Mandamus ut nemini sine licentia & mandato Episcopi curam præsumas committere animarum."

XVI. Unde præter institutionem Archiepiscopi debet insuper accedere approbatio Ordinarii, qua non quidem ipse titulus Beneficii datur, sed cura animarum. Hæc datio curæ animarum à Canonistis sequitur Glossam & auctorem Rubricæ citati Capituli quarti nonnumquam cum institutione confunditur: cum tamen vera institutio, sive collatio tituli non sit, quæ Archiepiscopi, aliisque inferioribus Prælati, qui tamen curam animarum dare nequeunt, etiam quoad beneficia curata competat.

Quapropter Capitula aliave Corpora nihil de suo jure institutionis decedere autmant; uti nec ipsi Principes de

de auctoritate conferendi pleno jure Beneficia & dignitates, quamvis ipsos Beneficiatos pro animarum cura ad Ordinarium remittant.

Quinimò etiam Synodus Tridentina Sess. 7. cap. 13. ab examine Ordinariorum excipiat Præsentatos, electos seu nominatos ab Universitatibus, seu Collegiis generalium studiorum, nihilominus, nominati ab hac Universitate ad Beneficia Curata debere subire examen Ordinarii supra tit. 19. c. 3. n. 24. ostendimus.

XVII. Porro quia in omni institutione autorizabili intervenit collatio beneficii, crediderunt nonnulli, eam intra semestre juxta Decretum Concilii Lateranensis in Cap. 2. de Concess. Præbenda esse faciendam. Verùm cum collatio hæc non sit propriè dicta collatio, id est, voluntaria; sed necessaria, faciendâ ad præsentationem alterius, communior Doctorum opinio est, institutionem Decreto Concilii Lateranensis non comprehendit; neque Superiori ad instituendum de jure ullum tempus præfixum; ut pluribus citatis notat Garcias De Beneficiis parte 10. c. 4. monèturque n. 2. idem esse in Beneficiis resignatis ex causâ permutationis, ad quorum collationem (ait) tempus præfixum non est.

XVIII. Illud insuper observant, quod factâ præsentatione, institutio in longum tempus differri nequeat. Cum enim Patronis tempus ad præsentandum sit præfixum, ne aliàs Ecclesia diutius viduata, aut ministro destituta maneat, hic finis non obtinebitur, si institutio post præsentationem diutius protrahatur, uti rectè advertit Pyrus Corradus in Praxi Benef. lib. 4. cap. 7. num. 12.

XIX. Ulterius præsentatus vi præsentationis jus ad ipsam institutionem habet: quare si Episcopus, Archiepiscopus aliusve jus instituendi habens, instituere negligat aut recuset, recurri poterit ad Superiorem, qui tempus præfigat, intra quod id faciat: quo elapso ipse Superior supplebit, vel compellendo vel instituendo. Ita Garcias loco citato n. 5.

XX. Quin & à recusatâ institutione Præsentatum appellare posse, tamquam à gravamine illato, probat Pannormitanus aliisque relati ibidem à Garcia n. 9. quod & quotidiana praxis comprobatur.

XXI. Imò refert Pinfonius in tractatu De Beneficiis ad verbum Canonica n. 71. "Casu quo summus Pontifex confirmationis, sive institutionis Canonice gratiâ denegaverit, & nominationis Regiæ Pontificiæ Bullas addere recusat, magni Concilii Patres, vel alii quorum ea de re notio est, partes suas intemperatè solum, & candidatis & nominatis Regiis, licentiam concedere adeundæ possessionis, sive temporalis, sive spiritualis administrationis subeundæ, iis solis exceptis, quæ Ordinis esse dicuntur."

XXII. Inter articulos anno 1316. à Prælati Angliæ oblatos Regi Eduardo II. erat hic decimus tertius: "Interpetitur, quod personæ Ecclesiasticæ quas Dominus Rex ad beneficia præsentat Ecclesiasticæ, si Episcopus eos non admittat, ut puta, propter defectum scientiæ, vel aliam causam rationabilem, non subeant examinationem laicorum personarum, in casibus autem dictis, pro ut his temporibus attentatur de facto, contra Canonicas sanctiones: sed adeant iudicem Ecclesiasticum, ad quem de jure pertinet, pro remedio, prout iustum fuerit, consequendo."

Huic postulationi respondit Rex: "De idoneitate personæ præsentatæ ad beneficium Ecclesiasticum pertinet examinatio ad iudicem Ecclesiasticum. Et ita est hæc usitatum, & fiat in futurum." Tomo II. Conciliorum generalium col. 2466.

Hinc duo colligimus. Primum quod ipsi Prælati Angliæ agnoscant, Præsentatis seu nominatis esse jus appellandi ad novum examen. Secundo à Prælati ad iudicem Ecclesiasticum pro remedio hoc casu esse recurrentem

et ipsumque Regem judicasse, de idoneitate personæ præsentatæ ad beneficium Ecclesiasticum examen pertinere ad iudicem Ecclesiasticum; & ita hæcenus fuisse usitatum, & fieri debere in futurum.

XXIII. Cum quidam Subdiaconus exposuisset Alexandro III. se fuisse præsentatum per Abbatem S. Petri Catalaunensis ad quamdam Ecclesiam Episcopo Sueffionensi, ut eum de prædictâ Ecclesia investiret, & animarum ipsi curam committeret, quodq; memoratus Episcopus Sueffionensis eam dare recusat, scripsit Alexander III. Abbati S. Remigii & Archidiacono Remensi: "Quia indecens est & penitus obvium rationi, ut præsentato Subdiacono, nisi pro manifesta & rationali causa, plebis cura denegetur: discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus infra 40. dies post harum susceptionem prædictum Episcopum monere, ac propensius inducere & deestatis, ut prædictum Subdiaconum de præscripta Ecclesia investiat & animarum sibi curam committat; aut quare id facere non debeat, coram vobis rationabilem causam ostendat. Quod si monitis vestris obtemperante contempserit, vos nostrâ freti auctoritate sæpe dictum Subdiaconum, omni dilacione & appellatione cessante, de prædictâ Ecclesia investiat, & animarum sibi curam committatis: ita quidem quod memorato Episcopo de plebis cura, prædicto verò Abbati de temporalibus debeat respondere." Tomo 10. Concil. general. col. 1274.

XXIV. Id ipsum & recentiores Synodi voluerunt; id unum tamen cautum volentes, ne Superior ad quem appellatur collationem ab Ordinario negatam concedat, nisi causis recusacionis integrè discussis.

"Si præsentato & petenti collationem sibi dari de quocumque Beneficio, tenuerit Episcopus dare, cogatur causas recusacionis suæ in scriptis exprimere: nec liceat superiori collationem decernere, nisi prius discussis causis & judicatis, propter quas Episcopus recusaverit collationem dare, alioquin superioris collatio nulla erit."

Ita Synodus Rothomagensis anno 1581. tit. De Episcoporum officio n. 20. Idem quoque statuit Synodus Remensis titulo De Episcopis n. 18.

XXV. Edicto Bleensis art. 13. decretum quoque fuit in Gallia, "quod si obtinentes collationem aut præsentationem reperti sunt in idonei & insufficientes, Superior ad quem recurrunt, non poterit eis dare provisionem, nisi nisi informatus de causis recusacionis, quas eum in finem Ordinarii tenebantur exprimere & inserere in instrumento recusacionis."

Illud tamen eodem Edicto art. 12. additum erat, quod si Ordinarius approbationem seu Visam ut vocant, dare recuset, quod supremi Regii Senatus coactione adversus Ordinarium non utentur; sed partes remittent ad Superiorem Ecclesiasticum, ut ab eo provisionem obtineant.

Plura tum posteriora Regum Edicta, tum Parlamentorum arresta prædictis articulis conformia, videri possunt in Actis Cleri Gallicani tom. 2. parte 2. tit. 4.

XXVI. Hæc & praxi Belgii consona sunt. Si enim Præsentato, aut nominato Ordinarius collationem aut curam animarum dare renuat, nihil usitatus, quam ad Superiorem recursus, coram quo ordinarius causam recusacionis allegare tenetur: & si defectus sufficientis scientiæ allegetur, novum examen instituitur.

XXVII. Hinc non difficile est intelligere, quare ratio ipsa institutio, quæ præter præsentationem Patroni requiritur; ipsaque datio curæ animarum ab Ordinario danda, merito dicatur collatio & provisio necessaria: cum vix negare eam cum effectu possit Ordinarius Præsentato; nisi impedimentum Canonicum ipsi Præsentato obtinere, probare queat.